



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno 429. Usque Ad Annum 483

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1759**

**VD18 90117816**

§. 22. Epistola Ibæ ad Marim.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66052](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66052)

Sæculum V.  
A.C. 448.

§. XXII.

*Epistola Ibas ad Marim.*

In hac Epistola tota Historia Schismati inter Nestorium, & S. Cyrillum referebatur. Ibas S. Cyrillum arguebat, quod in Hæresin Apollinaris prolapsus esset, dicebatque, Ejusdem duodecim Articulos impiis opinionibus esse plenos. Tum ea recenserebat, quæ in Concilio Ephesino acta fuerant, semper S. Cyrillo adversus, & Partibus Orientalium favens. In Rabulam, Antecessorem suum, vehementius invehebatur, quamvis non nominaret, & Tyrannum dicebat, qui non solum vivos, sed etiam mortuos fuisset persecutus, præsertim Theodorum Mopsuestenum, cui publice in Ecclesia Anathema dixisset. Tandem Joannem Antiochenum, & S. Cyrillum, conciliante Paulo Emeseno, in Gratiam rediisse, narrabat, cujus Facti Acta mittebat ad Marim, & subjungebat: *Cessarunt lites, & Schisma, in pace sicut ante hæc jurgia est Ecclesia. Id ex his Actis cognosces. Bonum nuntium omnibus communicabis. Murus Divisionis ablatus est. Confusi sunt, quorum insolentia vivos, mortuosque lacebatur; jam de propria defensione solliciti esse coguntur, & Doctrinam priori contrariam prædicare; nemo enim amplius est, qui affirmare audeat, unam esse Divinitatis,*  
Huma-

*Humanitatisque Naturam, sed omnes fa-* Sæculum V.  
A. C. 448.  
*tentur, quod Templum, & qui in eo habi-*  
*tat, sit unicus Filius JEsus Christus. Hæc*  
illa est Ibas celeberrima ad Marim Epi-  
stola.

Ibas econtra petiit, ut legi juberetur  
Epistola, Nomine totius Cleri Edesseni in  
suam Defensionem scripta, & ad ambos  
Episcopos, Judices, Photium, & Eusta-  
thium data. In ea ponebatur Blasphemia, p. 668.  
cujus Ibas accusabatur, sed sancte  
affirmabant, nunquam se talia ab ipso,  
vel quocunque alio proferri audivisse.  
Claudebatur Epistola in hunc modum:  
*Suppliciter rogamus, ut quantocius Epis-*  
*copum nostrum ad nos dimittatis, quia*  
*appropinquant Festa Paschalia, quo tem-*  
*pore ipsius præsentia catechizandis, &*  
*baptizandis Neophytis est necessaria. Ex*  
his dispicimus, hanc Epistolam ad Conventum  
Tyriensem fuisse scriptam. Clerici  
sexaginta, & unus, nempe Presbyteri tre-  
decim, Diaconi triginta sex, Subdiaconi  
undecim, & unus Lector signum appo-  
suerant. De pluribus notatur, quod Sy-  
riace subscripserint, unde liquet, utrius-  
que Sermonis tam Græci, quam Syriaci  
in hac Ecclesia usum fuisse. Lecto hoc  
Testimonio, & cæteris omnibus collatis,  
Ibas absolutus est, & Berythum missus.  
At istorum Actorum ultima desiderantur.